210. -

STANISLAO. AUGUSTO.

SERENISSIMO. ET. POTENTISSIMO.

POLONIÆ. REGI.

MAGNO. DUCI. LITHVANIÆ. &c.

MAGNI. HEROIS.

PRIMIQUE. REGNI. SENATORIS.

CASTELLANI. CRACOVIENSIS.

CLARISSIMI. COPIARUM. DUCIS.

VETUSTISSIMA. *CIOŁEK*. PROSAPIA. ORIUNDI.

STANISLAI. PONIATOVII.

PRÆSTANTISSIMO. FILIO:

PER. MATREM. PRINCIPEM. CONSTANTIAM.

DE. DUCIBUS. CZARTORISCIIS.

E. JAGELLONUM. SACRA. STIRPE. PROFECTO:

RELIGIONE. PIETATE. OMNIS. ERUDITIONIS. LAUDE. JUSTITIA. CLEMENTIA. COMITATE. BENEFICENTIA. PRUDENTIA. CONSILIO. FORTITUDINE. ANIMI. ORIS. MAJESTATE. SUAVISSIMAQUE. FACUNDIA.

ORNATISSIMO.

ET. AD. REGNANDUM. NATO.

A VICINIS. AMICISQUE. REIPUBLICÆ.
MAXIMIS. PRINCIPIBUS. ÆSTIMATISSIMO,

ET. MAGNI. HABITO.

GENTIS. LIBERÆ. BENEVOLENTIAM. ITA.
PROMERITO.

UT. UNANIMIBUS. TOTIUS. NATIONIS.
SUFFRAGIIS.

SINE. EXEMPLO. CONCORDISSIME.
IN. REGEM. ELIGERETUR.

SAPIENTIA. UTI. SUA. PROPRIA. DOTE.

OMNIBUS. QUI. THRONUM. POLONUM.
AMBIRE. POTUERINT.

OMNIBUSQUE. CIVIBUS. PRÆCELLENTI.

SCIENTIARUM. ET. ARTIUM. DEO. TUTELARI.

VERO. AMORI. DELICIISQUE. POPULI.

QUEM. (QUOD. DE. TITO. DICTUM) SI. VIDEAS,
SI. AUDIAS. SILEX. ES. SI. NON. AMES.
BREVIBUS:

REGI. SAPIENTI.

CARMEN. LYRICUM. OFFICIA. REGIS.
COMPLEXUM.

STANISLAUS. KONARSKI. è SCHOLIS. PIIS.

Fidelis amantissimusque sui Regis Cliens, Subditus.

In suæ ac Congregationis Schol: Piarum.

MAIESTATI. DEBITÆ. VENERATIONIS. PIGNUS.
ANNO. M.DCC.LX.IV.
D. D. D.

LECTORI.

INeunte fere Interregno, cum de Ornamento Gentis, STANISLAO PONIATOVIO, *ad Regnum Candidato, primi tum inter Nos sermones essent,* Ode *hæc de Sapiente Rege, amicis decantata fuit. Nemo erat, qui picturam simulacrumque videret, qui non mox* Archetypon, *unde hæc tracta sint, facile agnosceret. Imago Sapientis Regis, mirum in modum, cum nulloque mortalium melius, quam cum hoc suo Exemplari, tamque illustri Candidato, convenire visa est. Illum effingi, illius lineamenta duci, ejus esse effigiem, omnes illico judicavêre. Nihil illi propius, nihil similius: Ille est! quis dubitet? vox una omnium fuit.*

Quæ tum de futuro Rege dicebamus, jam nunc in præsente, neminem fallunt. Summo Reipublicæ bono concessus est nobis à D. O. M. Rex Sapiens. Hæc sola notio, omne id quod Principes summos & gloriosissimos facit, complectitur & definit. Erit Rex pius, justus, clemens, officii diligens, beneficus, Populi Pater, magnanimus, fortis, utraque fortuna invictus, dum erit Sapiens. Jam cum tanta sit de Regis STANISLAI AUGUSTI Sapientia, *tamque bene fundata universorum opinio, Illi honorificentissima, nobis utilissima æque ac jucundissima, aut ille undequaque proderit, ut nobis certissima spes est, Reipublicæ, aut jam Reges*

vel optimi, non erunt unquam bono humani generis. Desperandum esset de salute & fortuna publica, si hoc Principe divinitus Nobis dato, de ea quis dubitare ausit. Tempore eget, quæ enim longa depravârit & corruperit ætas, refici corrigique repente nequeunt. Concordia Civium eget, nam Civitati, secum ipsi discordi, nulla salus, DEUSque Ipse ruinam occasumque minatur. Voluntate & ope nostri omnium eget, quis enim cum invitis nolentibusque quidquam proficiat ? Quamquam magna Ejus mens, id quoque non ignoret: opus esse benefacere vel invitæ multitudini. *Jlle laboriosissimæ, ut à teneris asuevit, vitæ rationi non parcet, neque illi Sapientia Cœlestis, nec ars ulla imperandi regendique deerit. Hæc sunt de Eo Gentis liberæ, hæc Vicinorum Magnorumque Principum & Nationum præclara Judicia. Hæc de Eo & vati auguria Musæ divinitus inspirarunt.*

Si Carmen, quam hujus Generis Carmina esse soleant, quamque Princeps eorum Octavii Augusti Poeta exemplum dederit, insolenter longius est, meæ quidem intemperantiæ culpa est, sed causa, magnitudo materiæ. Jnexhausta res est officium Principis. Multa mihi in mentem venerunt, at nondum omnia. Esto & senile vitium: aut Oloris, infinitè usque ad funus cantantis, imitatio. Fortasse varietas rerum, fastidium tollet, & ad dandam insvetæ in id generis Cantu longitudini veniam, animum legentis deliniet. Scio Regem Musis esse amicissimum, Jllæ autem curas & cogitationes Regias importunè non rumpent, expectabunt præ foribus, si quid otii Regi forte supererit.

AD

AD FUTURUM POLONIAE REGEM:

Ex illo Salomonis:

Da mihi Domine Sedium tuarum Assistricem Sapientiam, quae mecum sit, &c.

DE SAPIENTE REGE.

ODE.

SI quod prophanis est vetitum, licet
Audire Vates: Sarmatiae novum
Regem daturus, sic Deos est,
Sic Superum Pater allocutus,

Me teste: Se quod rite colentibus,
Bonisque, Reges det populis bonos,
Probos, pios, fortes, tenaces
Justitiae ? *Sapientiamquae*

Locet

Locet beati pone latus Throni:
Quae dictet aptas, ſeligat optimas,
Et pacis & belli, ſecundis
Temporibus dubiisque, Leges

Haec, ſceptra ſacra verſat ubi manu;
Sancto Senatus Concilio, Patres
Conſcribit auguſtos: Ad omne,
(E populo meliore quovis

Lecto) recenſet munus idoneos.
Addit bonis calcaria, præmiis.
Cietque tardantem mereri
Utilium celebrata late

Merces laborum. Perdita ſpes malis.
Fortuna Cives deſerit improbos.
Virtutis almæ cuncta parent
Jmperio. Patrios honores,

Non illa Avorum, ſed meritis jubet
Gnavam juventam quærere propriis.
Greges adulantum, paratas
Vaenum animas facilesque vendi,

Sublimis arcet limine Regiae,
Faſces & omnes flagitio eripit.
Intaminatis ipſa praeeſt
Judiciis, nec in innocentem

Jus

Jus dat potenti. Si facilis tamen
Si prompta culpæ parcere ſupplici:
At crimen exerta protervum
Terret & inſequitur ſecuri.

Hinc triſte ſeptis qualis olentibus
Lupus, canum qui territus agmine,
Arrexit horrentes capillos,
Perpetuaque fuga relictis

Erupit oris: ſic miſerabile,
Sic omni inaudax & pavidum loco,
Foroque, compitisque pulſum
Ac domibus, ſcelus exul errat.

Serris nec aurum vecteque triplici
Eget, nec Argi centum oculis thorus
Pudicus: effraenes ſat auſus
Poena vigil cohibet, nefasque.

Rectricis haec eſt vis Sapientiae.
Jllius ars eſt, noſſe, quid indoles?
Genti quid innatus repoſcat
Laudis amor? quid opum cupido?

Non uſitatis inde modis agit,
Urgetque motu perpete, floreant
Artes ut omnes: hicque acuto
Ingenio, vel adusque priſcis

Res

Res irrepertas detegat, aut novam
Lucem repertis addat; at hic manu
Quam mente plus celer, ſtupendi
Res operis pretiique magni

Effingat; (empturo illicium potens.)
Deſiderati ſic opifex lucri
Sit certus, ac iſto perennes
Fonte meent remeentque nummi.

Primus regentis ſed labor, ut parens
Faecunda frugum, rura Ceres colat:
Typhisque quaeſitas in omni
Littore, velivolisque clauſas

Merces carinis, invehat urbibus.
Gaudetque, privatam ſi opulentiam
Jnduſtriae debet, ſuasque
Quisque opera ſtudioſiore

Res ſemper urget navus & impiger.
Re ſingulorum creſcere publicam
Cum norit, & commune magnum
Cenſibus exiguis parari.

Nec negligit, quas celat humus ſinu
Gazas avaro: viſcera montium
Ferro ſecat, nigris & infert
Damna Pluti Triviaeque Regnis,

Venas

Venas ut addat divitiis novas.
Tranquilla tutas ſed teneant opes
Ut Regna, tutela potenti, et
Viribus hic opus eſt & armis.

Haec Rex futuri proſpiciens, parat,
Ne conſilij expers, quid trepidis agat
In rebus, incenſâ ſequatur
Dardanidem Aeneadasque Troiâ.

Recenſue miles, ne rudis agminum
Flammaeque, Martis turbet opus grave.
Conſtat, repentinis deeſſe
Et ſubitis animum, modumque,

In imparatos ſi celeri pede
Hoſtis vel impar ingruit. Otia
Rex neſcit, eventura prudens
Providet & meditatur alta

In pace bellum: vel Socialibus
Paci ſuorum faederibus cavet;
Vectes ut æternos ahenis
Det foribus, reſeret nec unquam

Templum Bifrontis: Laetus, amabilem
Suo quietem ſi populo, eximit
Externa nec vis, Civium nec
Jurgia peſtiferaeque rixae.

Sed

Sed grata, ſomno ſi placido levat
Feſſos aratro cum Dominis boves,
Nutantis annoſæque quercus
Umbra, ſoporiferæque ripae.

Jn publicorum tunc operum novas
Molitiones pronus & integer
Incumbit, ac Divos ſuperbis
Indigetes habitare templis

Jubet. Tener vel tunc inopum Pater
Infert aſylis pauperiem piis.
Doctas Juventuti Palaeſtras,
Et mutilis ſenioque fractis,

(Attrita quorum caſſide tempora)
Tunc Martiales aedificat Domos.
Tunc impedituras, feroci
Hoſti aditum per aperta Regni,

Communit Arces; barbarus unde Dux
Nolit trecentis fulminibus quati.
Tunc pontium moles, ſimulque
Clauſtra vagis ſinuoſa rivis

Ponit. Viarum dulcius Appia ,
Saxoque ſtratum planat iter. Fora
Nec arte dimenſas plateas
Innovat, & meliore donat

Forma

Forma. Vetuſtae maenia Regiae
Corinthiis aut Joniis modis
Exornat; ac in plebis uſum
Deliciasque profuſus, hortos

Ludis aquoſis inſtruit. In bonum
Commune, ſemper ſplendidus omnium
Proviſor, aſt illiberalis,
Et ſibimet niſi parcus ipſi.

Nil Regiæ deêſt magnificentiae;
Aſt hac in ipſa, nil nimium. Pari
Metitur ac æqua bilance,
Qui veniunt abeuntque cenſus;

Modumque cautus ſervat, ut exitus
Venas opum ne præſuperet,neque
Pars major abſumatur aulæ
Soricibus. Nihil eſſe novit

Egente pejus Principe . Proprii
Proin videri vult patrimonii
Attentus argutusque cuſtos.
Solicitus magis anxiusque,

Non rem tributis augeat ut ſuam,
Sed ut Paterna demat onus manu,
Solventis è parvo coloni,
Et tenuem ſibi vix agello

Prae-

Præbente vitam. Quippe bonus Parens,
(Ut est Parens, Rex officii memor)
Ceu liberos, & dulcis instar
Prolis amat populum, suosque

Cives: & unam respicit ut Domum,
Quacunque spectat Regnum habitabile.
Partitus, æquo jure natis,
Lance pari sua dona, nec plus

Feliciori, de Patria Viro
Sed plus merenti: vel probitas diu
Quem rara secrevit latentem
Et tacitum, medioque vulgi

Exemit, aptum grandibus, & rei
Natum gerendæ. Novit enim suos
Princeps: huic horas diurnas
Dat studio vigilesque noctes;

Seseque totum sedulus, usui, et
Unum saluti devovet omnium.
Nascantur è quo fonte, gnarus,
Regia jura; datasque nusquam

Fuisse gentes Regibus; at datos
Fuisse Reges Gentibus: haud sua
Seseque libertate frustra
Trux hominum genus exuisse,

Non

Non ut Tirannos, (sunt miseræ quibus
Turbae gementum grataque servitus)
Sed ut pios justosque Patres
Deligeret, memoresque, sese

Certis teneri Legibus. His nisi
Subesse Reges se quoque sentiant,
Non temperatam vim, tumultus
Seditioque nocens sequetur.

Odêre semper, qui metuunt. Metu
Custode tutum nil bene. Vidimus,
Si non amor fulcit fidesque,
Saepe thronos titubare celsos.

Hoc non timebit Rex sapiens, cui,
Potens in omnes jus animos dabit
Coelestis ac callens regendi
Ars homines. Cui sunt benigna,

Quae rite, puris & manibus colit,
Supplexque placat, Numina: Regios
Mores & exemplum sequente,
Ac studiis imitante magnis

Turba, sui vestigia Principis.
Sic una mens est cum populo Duci,
Ut vera sectentur, Deoque
Digna, superstitiosa temnant,

Norint

Norintque, Patrem Romuleum Sacris
Praeeſſe, ſummo ſub Jove: qui male
Obliviosos impiosque
Cuſpide ſaepe monet tremenda,

Quid poſſit ? & quid juris in infimum
Telluris Orbem Regnaque maxima
Sibi reſervarit, Coronas
Ad lubitum arbitriumque mutans.

Jam major, aut quae fauſtior accidit
Felicibus ſors Jmperiis ? ubi
Cantare non faſtidioſis
Regibus hæc, cupidisque veri,

Fas eſt. In Aulis ſtat male veritas :
At Rex Magiſtro diſcipulus Jove
Qui regnat, huic primas in omni
Conſilio dat, & aure prona

Audit monentem: ſic male noxio
Errore liber fraudibus & dolo eſt,
Sic hoſtis eſt nulli, protervum
Quem Patriæ niſi norit hoſtem:

Sic Patriæ, quo quisquis amicior,
Is certus idem Regis Hephæſtion.
Sic cara Majeſtas ſupernis
Disque placet, populis & imis

Aeque. Polonis addite regibus
Regem faventes o Superi ! optimum
Quem noſtis, aut hucusque qualem
Vaticinæ cecinere Muſæ.

Sic Pax beatos alma feret dies:
Sic proſperorum Civibus omnium
Spes omnis & fortuna creſcet:
Perque libros, per & ora ſæclis

Narrata ſeris, gloria nominis,
Et laus & ingens Jmperii decus
Clareſcet, audietque, toto
Gentibus Oceano revulſis.

CUM REGIÆ MAJESTATI,
JUVENTUS COLLEGII NOBILIUM VARSAVIENSIS,
Seſe in eodem præſentaret:
Nomine Inſtituti *Scholarum Piarum.*

ORATIO.

CÆtus Noſter exiguus, dum MAJESTATEM TUAM, REX AUGUSTE, intra horum anguſtias parietum, cum ſummæ, quam mens capere poteſt, venerationis ſenſu, parique animorum alacritate ſalutat, faſtis in perenne monumentum inſcribet ſuis, & locum hunc, luce REGIAE Præſentiæ colluſtratum, qui nobis deinceps ſacer, & diem hunc, qui poſteris noſtris memorabilis erit.

Oſtendis clare PRINCIPUM humaniſſime, cum maximis rebus pro ratione temporis conſulueris, etiam ad minima quævis & humilia REGIAS TUAS curas extendi. Civitatem univerſam animo tenes, nec primos ſolum, ſed & poſtremos TUI Sceptri præſidio tutos felicesque vis eſſe. Jſtud ſcilicet DEI eſt, (cujus jam in hoc Regno vices obeundæ TIBI ſunt) magnis perinde ac parvis proſpicere, tantoque Providentiam Ejus magis eſſe admirabilem oportet.

Gratulamur Nobis itaque & incredibili geſtimus lætitia, talem Nobis divinitus conceſſum eſſe Principem, cujus diligentia omnes Reipublicæ partes complectatur, quique hanc etiam ſibi minime contemnendam, putet, quæ circa educationem Juventutis verſatur. Male enim verò cum ſibi tum Reipublicæ conſulunt ii Principes, apud quos Juvenum educandorum ratio, res eſt ultima, nec digna quidem de qua regiè cogitent, cui aliquam impendant operam. Fundamentum tamen, ſalus, ac origo omnis in Republica boni, eſt recta ac diligens Adoleſcentum Inſtitutio.

Quam jam bene hac de re ſperandum nobis eſt, ſub ſapientiſſimo omnique virtutis ac doctrinæ genere exculto Rege? eodemque in ea diſciplina educato, quam vel maximos orbis Principes in inſtituendis ſuis Liberis imitari deceret, & quæ illi præcipuè viam etiam certam & facilem ad Thronum aperuerit. Niſi enim REX AUGUSTE, proſpicientibus eminus, quid tecum eventurum eſſet, fatis, niſi inquam ita educatus eſſes, REX non eſſes. Senſit id & ille peritiſſimus Herorum cognitor Judexq; REX Boruſſus qui præclariſſima inter de Te judicia, id Tibi laudis tribuiſſe Legatoque Noſtro dixiſſe fertur: Scire ſe, Magni

Viri

Viri Heroisque illius PONIATOVII, & Principis CZARTORYSCIÆ Feminæ lectiſſimæ & æſtimatiſſimæ TE eſſe Prolem, adeoque præſtantiſſimos clariſſimosque Parentes TUOS, eam TIBI educationem dediſſe, quæ Te Solio parem Regio formaſſet, dignumque & idoneum ad regendam, in qua Natus es, Gentem liberam effeciſſet. Ita nullum majus beneficium Patriæ præſtare poſſunt, omnes boni Parentes, quam cum liberos ſuos quanta poſſunt diligentia, in quam optimos formare Reipublicæ Viros, vel à teneris ſtudent. Ad quod ut eos regaliter iuves, nedum iis optimo vis eſſe exemplo, ſed & Scholam equeſtrem ope Tua & Reipub: eisdem fundandam paterne polliceris, quæ, ſi quid aliud, Nomen Tuum immortale gratiſſimumque poſteris reddet.

Quid jam in TE Potentiſſime ac Optime AUGUSTE Noſter, hæc animi præcipuè TUI cultura effecit? id videlicet, quod ſummum, quod primum, quod unum in maximis deſideratur Principibus, ea TE nimirum imbuit ornavitque ſapientia, quæ omnes regnandi artes circumſcribit, quæ ſatis eſt ad felicem beatamque reddendam Rempublicam, qua Tu tanta, juxta omnium qui Te norint hominum, de Te honorificentiſſimam opinionem, es præditus, ut ea ſapientiſſimis quibusvis, & antiquis, & Tecum hodie Sceptra gerentibus Principibus, TE comparare, libenter ac cum ingenti Nationis Noſtræ gloria ſoleamus. Jtaque qui reliquis Civibus ſapientia præcellis, iiſdem ut imperes, meruiſti: ne illam priſcis quibusdam felicibusque populis invideamus gloriam, eos, ſapientiſſimos duntaxat optimosque omniū Civiū, ſemper ad Sceptra quæſiſſe.

Jam quidquid inde boni, ornamenti, ac glo-

riæ

riæ, ut certo ſperamus, in hanc redundabit Rempublicam, id omne, poſt Deum O. M. nos gratique noſtri poſteri in acceptis referemus ac perpetuo tribuemus, nedum præſtantiſſimo univerſæ Nationis à Celſiſſimo Primate prudentiſſime ac laborioſiſſime gubernatæ delectui, verum etiam ac imprimis Celſiſſimis Avunculis Tuis, cara illa ſacraque Nobis Jagellonum ſtirpe profectis, Cancellario Supremo M. D. Lit. Palatino Ruſſiæ, Antiſtitique Poſnaniæ, qui pro reſtituendo veteri ſplendore Jmperii famaque Poloni nominis, tam provide, tam ſapienter fortiterque rem omnem conduxerunt, ut jam omnia ad fortunatum tranquillumque deduxerint exitum.

Quod itaque honorificentiſſimum, ac immortale decus ſit, tam antiquiſſimæ Nobiliſſimæque Familiæ PONIATOWSCIORUM, ad ſummum auguſtumque evectæ faſtigium, quam Cariſſimis Tibi perinde ac Patriæ, digniſſimisque Fratribus TUÆ Maieſtatis, Supremo Præfecto Palatii Regii, Viro in Republica ſummos inter æſtimatiſſimo, alteri Clariſſimo, in exercitu Auſtriaco Generali Duci, qui ſibi gloriam parem maximis Ducibus, ſcientia rei militaris, ſanguine & innumeris vulneribus peperit: ac optimo doctiſſimoque Sacerdoti Fratrum minimo, cujus virtuti & doctrinæ ſingulari ad primos in Eccleſia & Republ: honores, & Magiſtratus certa patet via: Cariſſimis denique, ac omni ſexûs laude merito ornandis, Sororibus Tuis: omnibusque claro Sanguine junctis:

Quod vero cumprimis felix fauſtumque ſit ampliſſimo toti Senatui, fortiſſimo Equeſtri Ordini, Exercitibus, Tribunalibus, Urbibus & cuncto Populo: quod auſpicatiſſimum ſit Religioni &

Patriæ:

Patriæ: quod imo fortunatum ſit univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, tanta Sapientia pollentem, bono humani generis ornamentoque Regum, ſuffragiis liberæ Gentis, nos nactos eſſe Principem: hæc proinde teſſera longe lateque per Provincias a Cive ad Civem, a noſtratibus ad exteros divulgetur & permeet: Sapientem habemus Regem !

Jam cum genuinus ſit ſapientiæ fructus, quod nempe illa, juxta divina oracula, ſit pulchræ dilectionis mater; amaris certe, amarique Te ac diligi Ipſe ſentis, REX STANISLAE AUGUSTE! qui nuper flagrantiſſimum ac incredibilem quendam in Te Civium univerſorum amorem contemplando, continere Te non potueris, quin in hæc erumperes verba: *neminem* dicebas, *è Regum vel maximorum filiis, dum Thronos conſcendunt paternos, eam aut noſſe, aut poſſe ſentire dulcedinem, jucunditatem, voluptatemque animi, quam tu ſentires, dum quod neceſſario illis ſors naſcendi, Tibi libere, omnium caritas & benevolentia Civium, eorumdemque mirabilis illa nec unquam uſitata nemine excepto concordia, Jmperium obtulit.* Jta cogitando certe non deciperis. Quis enim ſapientem non depoſcat, non amet, non deſideret Principem? qui de ſua, quam optimè norit Republica, tam præclare cogitat, qui illam tot annis conſilio deſtitutam è funeſto Anarchiæ Statu liberandam ſuſcipit, quis inquam tali Principi non optimè velit?

Et hæc ipſa lectiſſima ac nobiliſſima Juventus, quæ ſe Tuæ Maieſtati hilaris & læta præſentat, id ipſum jam, quod Te nempe vehementer amet, frontibus, oculis vultuque præſefert, & Tibi palam facit. Nos continuo eidem inſpirandæ non deſumus, quid DEO, quid REGI, quid Patriæ debeat. Præcepta, autem Leges mandataque Majeſtatis

jeſtatis

jeſtatis Tuæ, dum Tibi aliquando vacaverit, præſtolamur, quibus quam optimam rationem educandæ Juventutis divina Tua Nobis præſcribet, præcipietque prudentia.

Nunc jam Scholæ Piæ utriusque Provinciæ feliciter Sceptro TUO ſubjectæ, de Majeſtate Tua & Patria optime mereri cupientes, à glorioſiſſimis Parentibus TUIS, ut Majeſtas TUA meminiſſe dignabitur, ſemper protectæ, clementiæ, tutelæ, & Regiæ defenſioni TUÆ, ſeſe, ſuaque jura & Privilegia, à Regibus & Republ: iiſdem conceſſa, humillime majoremque in modum commendant.

Cicero ad Cæſarem.

Omnia ſunt excitanda tibi C. Cæſar uni, quæ jacere ſentis perculſa atque proſtrata: conſtituenda judicia, revocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles: omnia, quæ dilapſa jam fluxerunt, ſeveris legibus vincienda ſunt. Non fuit recuſandum, in tanto animorum ardore, quin quaſſata Reſpublica, multa perderet ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ: Quæ quidem nunc Tibi omnia vulnera curanda ſunt: quibus præter Te, mederi nemo poteſt. Omnium ſalutem Civium cunctamque Remp: res Tuæ complexæ ſunt. Orat. pro Marc. Marcello.